



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Excommvnicationis in subsidium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

Quinam terminus debet præfigi ab Ordinario puellis, quæ sumperunt sacrum habitum Monialium si velint professionem emittere.

Sciendum est, quod postquam puellæ, quæ Deo seruire intendunt sacrum habitum sumperunt in aliquo monasterio debet ab Ordinario loci Episcopo certus dierum numerus quindecim, vel viginti præfigi, intra quem debeant declarare, an in rei veritate intendant professionem emittere, vel non, & in casu quo non intenderent profiteri, tunc utiq; sunt remittendæ ad domos consanguineorum, vel affinium, vt affirmat Campanil. in diuersis. iur. canon. rub. 12. cap. 216. nu. 18. postquam Episcopus hac de re certior factus fuerit intra viginquinque dies examen hoc perficere tenetur, quibus elapsis amplius se intromittere non debet, Galet. in sua Margarita casuum conscientiarum in verbo Nouitij, Armendar. in addit. ad recopilat. leg. Nauarr. lib. 2. tit. 18. leg. 7. de Religion. num. 45. quos refert, & sequitur Nouarius in suo iure Pontificio nouo conclus. 1. num. 3. sub rubric. de exploratione voluntatis puellarum pag. 200. col. 1.

RESOLVT. CXCIX.

- 1 Exploratio voluntatis puellæ non debet fieri ad instantiam illius, qui intendit ipsa in vxorem ducere.
- 2 Vbi imminet suspicio quod puella profiteri volens esset à monialibus inuestiganda quid agendum.

Exploratio voluntatis puellæ quæ habitum recepit, An possit fieri ad petitionem illius, qui intendit ipsam in vxorem ducere.

Aduertendum est, quod locorum Ordinarij ad quos spectat huiusmodi explorationem facere, non debent explorare voluntatem puellarum, quæ habitum recipiunt ad petitionem volentium illas in vxores ducere, sed debent omnino expectare tempus emittendæ professionis, quo in tempore si immineret suspicio, quod inuolueretur à monialibus pro suo officio curabit, inde duci ad exteriorem Ecclesiam, Monasterij, vel in propinquiorum, & ibi voluntatem explorare, quod si cesseret huiusmodi suspicio, tunc non in alio loco quam ad Crates ferreas id perficere valebit, prout in propriis terminis, notat Campanil. in suo diuersor. iur. canonic. cap. 16. rub. 12. num. 15. qui iuxta hanc sententiam decissum per Sacram Congregationem Illustrissimorum Cardinalium Concilij Interpretum fatetur, & post eum ita pariter affirmat Nouarius in opusculo noui iuris Pontificij concl. vnic. n. 4. & 5. sub titulo de Exploratione voluntatis puellarum, & ita ego vidi pluribus vicibus practicum, Neapoli, & alibi.

PRAXIS EXCOMMUNICATIONIS in subsidium.

RESOLVT. CC.

- 1 Iudex diligenter inspicere debet, si ad sit aliud remedium antequam concedat excommunicationem.
- 2 Excommunicatio est vltimum remedium subsidiarium.
- 3 Ordinarium remedium, ubi habetur, extraordinario uti quis non debet.
- 4 Actio subsidiaria datur, quando deficit ordinaria.

An excommunicationis pena regulariter sit subsidiaria.

Inter requisita excommunicationis proferendæ illud in primis est vt Iudex diligenter inspicat si ad-

sit aliud remedium, quo pars experiri valeat ad eius intentionem consequendam, vt voluit Bald. conf. 81. vol. 1. quem refert, & sequitur Monald. conf. 27. num. 3. & sequent. volum. 1. & proinde iure optimo, Costa in eius tractat. de remedijs subsidiarijs voluit literas monitoriales, minimè concedendas esse, nisi in subsidium scilicet deficientibus alijs probationibus allegat Nauarr. in conf. 3. de censibus, addo Neniz. in Sylua nuptial. lib. 3. in verb. Monitoria n. 48. Vgol. de potest. Episcopi c. 45. §. 3. Sayr. decif. 4. de censibus.

Cuius conclusionis ratio est, quoniam excommunicatio est vltimum remedium, quo vitur Ecclesia, cap. Clericus de vita, & honestate Clericorum, Henriquez conf. 12. num. 6. Grassius conf. 13. de sententia excommunic. vol. 2. ex quo reputatur maxima poenarum, cap. corripiantur 24. quæst. 3. & quoties habemus remedium ordinarium non debemus vt extraordinario leg. si causæ, ff. de minoribus, cum vulgaribus. Sotus in 4. sententiar. distinct. 22. quæst. 1. & probatur apertè in Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. de reformat. vt excommunicationis gladius qui est neruus disciplinæ Ecclesiasticæ sobriè, & cum magna circumspèctione est exercendus, & tunc demum quando alia via suum recuperandi inueniri non potest, vt prosequitur Berret. conf. 3. num. 2. & in conf. 5. num. 19. sequuntur Summistæ omnes in verb. excommunicatio præsertim Zetula in sua praxi Episcop. verb. excommunicatio n. 7. latissimè Costa de remedijs subsidiarijs remed. 14. num. 16. & seq.

Et ex supradictis prouenit rationabiliter quod per Iudices ecclesiasticos in præceptis ab eis enarratis inferatur clausula sub poena excommunicationis in subsidium, vt latè prosequitur Gennet. in praxi Curie Archiep. cap. 22.

Inferitur pariter ex supra positis conclusionibus, quod existentibus duobus insolidum obligatis in forma Camera Apostolica, quorum vnus est solvendo, & proinde ab eo omne debitum recuperari potest, non potest relaxari censura contra alterum ex obligatis, vt testatur fuisse in Rota decisum, Farinacc. in decif. 97. par. 4. diuersorum, & refert Costa vbi supra n. 14. Thesaur. fori eccles. cap. 38. n. 31. Episcopus Minoren. in praxi cap. 22. n. 6. & seq. vbi plura ad hoc.

Ampliatur supra posita regula circa id, quod loquitur de subsidio procedere generaliter, ac in omni materia præsertim in actionibus. Ex quo actio subsidiaria datur cum actio ordinaria deficit, l. quædam, ff. de edendo, l. fin. C. de magistratibus conuocandis, Vinus decif. 116. n. 20. Carroc. decif. 109. n. 20. latissimè Bellarmin. in suo perutili tract. de caritativo subsidio quæst. 14.

Amplia secundo, vt non vitietur actus, si plura remedia fuissent cumulata, & sic esset, exempli gratia, poena pecuniaria, quæ est ordinaria cum poena excommunicationis, quæ solet loco poenæ subsidiariæ ferri, vt voluit perbellè Hondedeus conf. 177. & latissimè Costa in suo tractatu de remedijs subsidiarijs in præludio, præludio 4. in princ.

Limita secundo, vt existentibus duobus remedijs, scilicet magis subsidiarijs, & minus subsidiarijs vt debemus, vt regula procedat remedio minus subsidiario secundum Bald. in l. in prouinciali, §. 1. ff. de noui operis nunciatione, Corneus conf. 87. num. 2. vol. 1. plenè Barz. in decif. 130. n. 12. & ratio est secundum omnes quoniam tunc illud remedium magis subsidiarium haberetur loco ordinarij, vt latè prosequitur Costa in dicto tract. præludio 3. in princip.

RESOLVT. CCI.

- 1 Allegans aliquid ad suæ intentionis fundamentum debet probare.
- 2 Relatio

2 *Relatio nuntij non sufficit, quando aliquid requiritur pro iustificatione.*

An ut possit deueniri ad poenam excommunicationis in subsidium debeat constare Iudici de impedimento exactionis poenae ordinariae.

Ad poenam excommunicationis, quae in subsidium deficientibus, alijs poenis infligitur deueniri minime per Iudicem poterit nisi coram eo fuerit plenè constitutum per relationem Nuntij de impedimento executionis poenae pecuniariae, vel alterius; & ratio est, & colligitur ex vulgata illa iuris conclusione allegantem aliquid ad suae intentionis fundamentum debet illud probare, ut probatur in §. item instir. de excusat. tutorum, Bald. conf. 449. vol. 5. Alciat. de praesumpt. regula 2. praesumpt. 27. Menoch. eiusdem nominis tractatu praesumpt. 25. n. 14. Mascard. de probationibus conclus. 1154. Benincas. in tractat. de paupertate quaest. 6. Pacian. in tract. item de probationibus cap. 54. lib. 1. Paris. conf. 50. num. 61. cum sequ. lib. 1. Gail. obseru. 152. lib. 2. Mifing. obseruat. 94. cent. 3. & Albanus in suo conf. 161. n. 6. & seq. vol. 1. vbi plura ad hoc, quod ubi aliquid requiritur pro iustificatione alicuius rei non sufficiat relatio Nuntij super impedimento, vel defectu aliquo, nisi plenè aliunde Iudici constiterit de dicto defectu.

RESOLVT. CCII.

- 1 *Exequutio qualiter fiat ex l. a Diuo Pio. ff. de re iudic.*
- 2 *Pater quando filij bona alienare possit.*
- 3 *In casibus, in quibus creditor succedens debitori potest sibi satisfacere, qualiter censetur sibi soluisse.*
- 4 *Concilium loquens de relaxatione excommunicationis non inducit formam.*

Stante dispositione Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 3. mandantis non posse infligi poenam excommunicationis nisi in subsidium, An si inferatur non obseruato dicto ordine excommunicatio dicatur nulla.

Saepe numero controuertitur de excommunicationis invaliditate ob non seruatum ordinem legis Sacri Concilij, Trident. sess. 25. cap. 3. de reformatione mandantis non posse deueniri ad fulminationem censurarum, nisi in subsidium, & tunc demum, ubi constat non adesse alia remedia ordinaria ad suum consequendum.

In quo dubitationis articulo conferre videtur si supradicta Conciliaris dispositio induxerit formam, nec ne, & loquendo a simili de executione sententiae pro instructione Iudicis non pro forma datum, aut per scriptum, l. a Diuo Pio. §. in venditione, ff. de re iudic. nisi primò capiuntur mobilia, & eis non extantibus, vel insufficientibus deuenitur ad immobilia, in subsidium verò ad nomina debitorum, Carocc. tract. de excusat. bonor. quaest. 3. & ex communi Doct. sententia in praxi quoque obseruata firmat, Nouarius de priuileg. miserabil. personarum priuileg. 43. vbi Doctor. cumulat, Gabriel. suis commun. titul. de execut. rei iudic. conclus. 2. Conrad. ad l. vnic. si de moment. posses. limit. 18. nu. 24. vique in fin. de Franch. decis. 441. par. 3. Bertaz. crimin. conf. 402. nu. 44. cum seqq. volum. 2. Afm. de execution. §. 4. cap. 90. num. 12. Mohedan. decis. 185. Put. Rom. Rot. decis. 318. lib. 2. Collier. tract. de process. executiui part. 3. cap. 9. num. 17. Vrsil. ad Afflic. decis. 358. Mulcatell. in praxi part. 3. gloss. in verbo seruata num. 37. cum seqq. Surd. confil. 39. num. 22. & seqq. volum. 1. vbi praeterea limitat multifariam opinionem tenentium, quod peruersione huius ordinis contrahitur nullitas executionis. Cui

2 confert satis, quòd authoritas data patri, ut urgente necessitate possit bona aduentitia, in quibus patriae potestatis ratione habet vnumfructum alienare, Marchisell. quaest. 113. regulanda, & temperanda est ad normam dist. 8. in venditione, ut primò alienet mobilia, & his non sufficientibus, immobilia: mox debitorum nomina alioqui tenebuntur filijs ad interesse, & si pater hoc facere nimium distulerit vulg. l. vlt. §. fin. autem res alienum, vbi Bald. C. de bon. quaer. lib. Pinell. ad l. 1. par. 3. num. 23. C. cod. Ludonic. decis. Perus. 13. nu. 13. part. 1. eadem statim labitur facultas testamentarii executoris, Curt. iun. conf. 327. lib. 3. qui deinde bona testatoris vendere non potest, nisi praecedentibus legitimis subhaftationibus, Burfat. conf. 28. vol. 1. Diui decis. 305. par. 2. Vallasch. decis. 68. Idem si contra contumacem procedatur, inter alias poenas fit inductio in possessionem, primo bonorum mobilium, & illis non extantibus, vel non sufficientibus immobilium, ac in subsidium peruenitur ad iura, & nomina debitorum, Abbas in c. ad quoniam frequenter ibiq; Mifinger. num. 70. ut ritè non constet, quod si non inueniatur emptor, tunc in subsidium adjudicari debet pignus creditori, pretio tamen iusto ab aestimatoribus, & probis viris loci illius, ubi bona sita sunt taxato, vel in subhaftatione definito, Afm. d. loc. & Surd. praedicto conf. 39. n. 25. cum seq. Additur, quod in casibus, in quibus creditor succedens debitori, potest sibi soluere, praesumitur facta prius de mobilibus, quam stabilibus, Surd. decis. 170. Caterum si inter mobilia fortasse extarent boues aratorii, vel animalia ad publicum bonum pertinentia, vel instrumenta ad fundi culturam, in his quoque fieri posset exequutio, sed in subsidium tantum. Ut tradit Plot. ad l. si quando nu. 712. C. vnde vi. Menoch. de arbit. Iudic. lib. 2. cal. 378. & ita limitatur text. in l. exequutores, cum authent. Agricultores, C. quae rei pignor. oblig. posses. sicuti militum, & Clericorum stipendia, & arma sequestrum excludunt, ac exequutionem nisi in subsidium, l. stipendia, vbi Mathesil. C. de execut. rei iudic. & Afm. praxi iudic. §. 3. cap. 2. limit. 33. cum duabus seqq. & limit. 36. vbi de libris scholarium, Magon. decis. Rot. Lucenl. 24. num. 7.

4 Caterum ut ad Articuli decisionem deueniam conclusiue, dico Concilium d. cap. 3. tradere instructionem, non autem imponere formam, prout ita quoque sentit Maceratenl. var. resolut. lib. 1. resolut. 112. cal. 75. in fin. vers. Insuper, & consequenter, quod si feratur excommunicatio non obseruato dicto ordine Concilij, non per hoc erit nulla.

RESOLVT. CCIII.

- 1 *Excommunicationis mala recensetur.*
- 2 *Episcopus quidam antequam excommunicaret, flebat.*
- 3 *Excommunicatio non est ferenda, quando non creditur profutura.*
- 4 *Absoluti ab excommunicatione, an & quando debeat inuitus.*
- 5 *Excommunicatio pro rebus perditis quando ferenda.*
- 6 *Excommunicatio semper ferenda in subsidium.*
- 7 *Episcopus non debet esse promptus ad excommunicandum.*
- 8 *Episcopus non potest excommunicare propter iniuriam propriam, nisi iniuria concernat Ecclesiam.*
- 9 *Episcopus an teneatur denunciare excommunicatos.*

Excommunicatio qua maturitate ferenda sit a Iudicibus Ecclesiasticis.

Iudices memores esse debent, ut excommunicationis gladius sobrie cum magna circumspectione, non autem ex leuibus causis incutiatur, nam magis con-

contemni quam formidari, perniciem potius parere, quam salutem: verum est, Concil. Trident. cap. 3. sess. 25. de reform. sunt enim incredibilia mala, quæ secum trahit excommunicatio quorū satis sit referre; quod excommunicare nihil aliud est, quam trahere hominem Sathanae exemplo Apostoli, qui tradidit Sathanae Corinthium fornicatorem, cap. omnis Christianus, cap. audi 11. quæst. 3. & quod excommunicatus participat cum diabolo in incendio ignis æterni, Nouarius de elect. & variation. fori quæst. 33. sect. 2. in antiq.

Et licet hodie excommunicari non necentur a Demone, hoc euenit, quia Demones nolunt hoc facere, ne homines timeant multum excommunicationem, & sic contraheretur via lucrandi animas multorum per contemptum excommunicationis, vt tradit Turrecrem. in dicto cap. Audi; secundo excommunicatus dicitur possideri a Diabolo, qui vtitur eo tamquam peccatore suo, gl. in dicto cap. Audi citius moritur, cap. Episcopi 11. qu. 3. Angelus Custos, non ita adiuvat illum sicut prius, Abbas in rubr. de sentent. excommunicat. est sicut infidelis; Vnde D. Mattheus 18. si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus: dicitur homo valde infirmus, & solus cum non habeat remedia Sacramentorum, priuatur communione Fidelium, suffragiis Ecclesiae, quæ pro illo non erat nec viuo, nec mortuo, cap. quicumque 11. quæst. 3. & ista suffragia seruiunt ad gratiam seruandam, ad habendam protectionem rei paternalem, & defensionem ab hostibus, quibus priuatur excommunicatus, Siluest. in verb. excommunicatio §. 1. & ommissis alijs effectibus nulla maior poena est in Ecclesia Dei excommunicatione, & Sanctus Augustinus in c. nihil 11. quæst. 3. dicit Christianum nihil debere magis formidare quam excommunicationem, & ibi Turrecr. referens eundem Augustinum dicit grauius est homini excommunicari quam si feriretur gladio, si a feris deuoraretur, si flammis vreretur; Notissima sunt exempla Sancti Antonij, qui volens offendere effectum excommunicationis excommunicauit panem, & statim effectus est niger, absoluit postea, & euasit albus; Sancti Bernardi qui excommunicauit mulcas, quæ impediabant Diuina Officia in Ecclesia, & statim ceciderunt omnes mortuæ; Quidam Abbas excommunicauit quandam syluam cum lacu, quam quidam potens a quo recuperare eam non poterat detinebat, & sylua non amplius fructus protulit, nec lacus pisces; quidam miles excommunicatus sedens in mensa porrigebat panem canibus, & illi nolebant accipere. E domo cuiusdam excommunicati statim Ciconiæ filios abstulerunt, & alio transfulerunt, quamuis animalia bruta, & arbores non possunt excommunicari, sed maledici; Cassianus conf. 1. Nouarius in pragmat. Regni 1. de Brutis, & ego vidi plura memorabilia, exempla excommunicatorum, quorum aliqui post breue tempus interfecti, alij subitanea morte perempti sunt.

Inde affirmat Eminentissimus Cardinalis Vgo in Epist. 1. ad Corinth. super cap. 5. Episcopum debere cum fletu, & compassionem tollere per excommunicationem flagitiosos de medio Ecclesiae, referens exemplum cuiusdam Episcopi, qui semper fletat quotiescumque excommunicabat aliquem, & fere omnes citò corripiebantur per excommunicationem suam, & ex prædictis inferitur.

Primo, quod non debet excommunicari, quando creditur excommunicationem futuram inutilem, & in vilipendio, Ioann. Andr. in cap. Romana de sentent. excommun. in 6. Ioann. Andr. & Dominicus in cap. 1. eod. tit. & lib. 6. Felyn. in cap. Apostolica de except. & inuehit, Hostiens. contra quendam legatum, qui exercitiis armatis, & volentibus iam congredi præ-

cepit, sub poena excommunic. latè sententiæ ne congrederentur; nam spreto eius mandato perierunt multorum corpora.

Et si Delegatus videt turbatores suæ iurisdictionis adeo peruersos, quod si excommunicarentur peiora facerent, deberent suspendere, donec mutentur tempora, & Deus, vel Vicarius apponat consilium, Felyn. loc. cit. qui alios adducit, quinimod dicit Sanctus Thomas in 4. dist. quæst. fin. art. ult. quod Episcopus potest inuitus absolueret, & debet si videat illius animæ expellere. Quam doctrinam Dni Thomæ intelligit Abbas in cap. ab excommunicatio de rescriptis, quando sub lata excommunicatione erit spes, quod alio remedio emendabitur, secus sit non sit spes, quia tunc non debet absolui, Felyn. latè in d. cap. Apostolica, qui dicit in dubio, quando nescitur vtrum obstinatus in excommun. corrigetur, vel non deberet absolui, sed esse necessarias claras coniecturas.

Secundo, circa monitoria, quæ pro rebus deperditis concedi solent, maturè est procedendum, iuxta Concil. Trident. dicto cap. 3. sess. 25. vt non concedantur ea, nisi pro re graui, saltem continente summam, ducatorum quinquaginta, sed pro minori possent fieri monitiones tantum, nec quando veritas alio modo haberi potest, vt quia testes sunt in causa citati, vel monitoria petuntur in facto proprio, in quo non presumitur ignorantia, nisi quando de iure presumitur, vt tradit Socin. in fallent. 175. post Bart. in l. non fatetur, si de confess. Abbas in d. cap. ab excommunicato, nec si sunt infamatoria, aut continent criminalitatem, vt latè tradit Neuiz. in Sylua nupt. in verbo monitoriè prob. in cap. 2. de constit. in 6. & nos latissime diximus in praxi cap. 1.

Tertio ex Concil. Trid. dicto cap. 3. in omni causa, vt debet Iudex Ecclesiasticus excommunicatione, in subsidium quando exequutio realis, vel personalis fieri non potest, de quo Genuens. in praxi cur. Archiepisc. cap. 77.

Quarto Iudex Ecclesiasticus ex supradictis non fit facilis ad faciendum plura statuta continentia excommunicationem, & desuper non fit promptus ad excommunicationem, vt tradit Turrecrem. in c. fin. quis 11. quæst. 3.

Quinto vigilet Iudex ne excommunicationem in aliquem ferat propter iniuriam propriam, cap. inter querelas 23. quæst. 4. quod intelligitur quando iniuria concernit solum Episcopum, secus si redundat in dedecus Ecclesiae, vel si excommunicet pro defensione sua, quia licet vim vi repellere, cap. dilecto de sentent. excommun. in 6. vt declarat Turrecrem. in dicto cap. inter querelas, & vim vi repellendo pro defensione sua, vel iniuriam Ecclesiae potest excommunicare nullo iuris ordine seruato, Innocent. in cap. venerabil. de censibus.

Adhuc animaduertendum est, quod Episcopus excommunicans iniuste sine scriptis, aut monitione, aut alias iniuste ex ignorantia crassa, vel supina peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem cum grauius lædat proximum, Turrecrem. in cap. illud 11. quæst. 3. Nauarr. c. 27. n. 8. cap. sacro de sent. excomm.

Et præterea notandum est, quod Episcopus tenetur denunciare excommunicatos, vt respiciant, & conuertantur aspicientes cōsolationem suam, dum ob alijs vitantur, & non potest dissimulare, cap. cura 11. qu. 3. Abb. & Doct. in cap. pastoralis, §. verum de appellat. & denunciatio, quæ denunciatio, est facienda nominatim, vnde si excommunicatus declaretur Ioannes cum eius sociis, vel fautoribus, nisi illi essent notorii non essent vitandi, Innocent. in cap. in Lateranensi de præbendis.

PRAXIS EDUCATIONIS PVELLARVM,
intus Monasteria Monialium.

R E S O L V T. CCIV.

- 1 Puellæ possunt educari in Monasterijs.
- 2 Puella, quæ educatur in Monasterijs non potest retinere ancillam.
- 3 Habitus puellæ, quæ ingreditur Monasterium qualis esse debeat.

Causa Educationis, num liceat Puellis Monasteria Monialium ingredi.

- 1 **I**ncertum alios casus, quibus foeminis permittitur ingressus Monasteriorum Monialium est, & illa si causa educationis illuc velint ingredi, nam Sac. Concilii declaratio censuit, nullo Concilii Decreto prohiberi, quò minus puellæ in monasterijs monialium educantur, si tamen eadem monasteria ante Concilium, consueverint, huiusmodi puellas recipere, & quæ a Superioribus Monasteriorum scriptam licentiam impetrarent, atque Abbatissæ, & reliquarum monialium consensus accesserit, & quod ipsæ puellæ, eo modo in monasteria intromittantur, qui virginali pudori, ac modestiæ conveniant, nullamque secum famulam adducant, nec in eo manere possint, nisi usque ad ætatis suæ annum 25, & quod ex eo dum exeunt, eandem servant clausuram, quam moniales ipsæ, & si semel exierint nullam habeant ad ea reuertendi facultatem, vt ex litteris eiusdem Congregationis ad Episcopum Hieracensem, quas se vidisse testatur, Passarellus, & refert Sorbus in suis Annotationibus ad prædictum compendium super dicto verbo in versic. de puellis autem, quinimò ipse vidit alias multas superinde declarationes ab eadem Congregatione factas, quas, hic rescribere, duxi non esse superuacaneum, maxime quod aliqua illa amplexantur capita, quorum veritatem non ignorare vtilissimum fore iudicavi (Puellæ seculares non prohibentur, quin in Monasterijs monialium conuerti possint, seruanda, tamen sunt instituta, cuiuslibet Monasterij, nec nisi de consensu Superioris eiusdem Monasterij admittenda. Item puellæ, quæ educationis gratia degunt in monasterijs debent ibi manere sine ancillis, nec inde exire, nisi non reuersure possint, & obligatæ sunt ad clausuram, & ad cetera, sicut ipsæ moniales; item statutum est, de puellis, quæ propter tenues facultates, vel inopiam domi suæ tutari nequeunt, ac eisdem de victu a propinquis suppeditatæ sunt in monasterijs collocandæ; Item puellæ educationis gratia stare possunt in monasterijs monialiū, quando seruant omnia, ad quæ tenentur ipsæ moniales, cap. tamen 14. & 16. huius sess. 25. locum non habet in dictis puellis, item puellæ, quæ educationis gratia in monasterio monialium recipiuntur, recipi debent de consensu Abbatissæ, & monialium, & de consensu, & de licentia in scriptis Superioris, earundem, debentq; in monasterio sine ancillis manere, & si semel ab eo exierint, non sunt amplius in eo admittendæ, illis autem licentia dari debet, inde ad balnea curandæ valetudinis causa exeundi, iisdemque permitti, vt in idem monasterium redire possint, item Episcopus potestatem facit puellæ redeundi, & commorandi in monasterio, in quò alias commorabatur causa educationis, & si in eo non exiuit morbi sui curandi causa, modo id fecerit de eius licentia, & quod seruentur omnes conditiones, quæ alias in alijs litteris, huiusmodi eiusdem præscriptæ fuerunt, (ac demum alijs omisiss illam refero, quæ subscriptis concipitur verbis) Puellæ, quæ de licentia Superioris monasterij, de eo exierint curandæ valetudinis causa, rursus in eo admitti debent, modo ab earundem Superiore licentiam in-

Praxis Aloys. Ricc. Pars IV.

scriptis impetrent, & Abbatissæ, ac reliquarum monialium accedat consensus, & eò vestitu in Monasterium intromitti debent, qui virginali modestiæ, ac pudori conveniant, nullamque suam famulam ducant, & dum ibi erunt, seruare debent clausuram eandem legem, quam moniales seruant, neque ibi permanere permitti debent ultra ætatis suæ annum 25. quò ex loco si semel exierint, nullam postea reuertendi habeant facultatem, his tamen temporibus, non nisi præcedente licentia Sacræ Congregationis Regularium licet.)

R E S O L V T. CCV.

- 1 Decretum de numero monialium non obstat in introductione puellæ in Monasterio monialium.

Vt Puella possit recipi in Monasterium causa educationis, quæ concurrere debeant.

- 1 **P**uellas etiam causa educationis in monasterijs monialium recipi posse, nec illis obstat Decretum de numero monialium determinatione rescripti Sac. Congreg. Concil. Episcopo Hieracensem, quod rescriptum refert Quar. in summ. Bullar. in ver. monasteria monialium, vt sequitur.

Reuerendissime Domine ex sacra Congregat. Cardinalium Tridentini Concilij Interpretum. Amplitudinis tuæ nomine quesitum est, an puellæ in monasterijs monialium educationis causa permanere possint, ij verò sic consueverunt ad te scribendum, iam dudum ab eadem Congregatione statutum esse, nullo Concilii Decreto prohiberi, quinimò puellæ in monasterijs monialium educantur, si tamen eadem monasteria ante Concilium consueverint, huiusmodi puellas recipere, si a Superioribus monasteriorum scriptam licentiam impetrarint, atque Abbatissæ, & Reliquarum Monialium consensus accesserit, tum verò hæ ipsæ puellæ, eò vestitu in monasteria intromittantur, qui virginali pudori, ac modestiæ conveniant, nullamque secum famulam adducant, nec manere in eis possint, nisi usque ad ætatis suæ annum vigesimum quintum, atq; in eis dum erunt, eandem servant clausuram legem, quam moniales ipsæ, & si semel exierint, nullam habeant, ad ea reuertendi facultatem, proinde Congregatio; his litteris, impertiendam tibi hanc facultatem duxit, vt quotiescunque in ista tua Ciuitate, & Diocesi Hieracensi, id expedire amplitudo tua iudicauerit, possit permittere puellas in monialium monasteria, in quibus piæ, & honeste instituantur introduci, adhibitis tamen conditionibus, superscriptis, & bene in Domino, valebit, Romæ die vlt. Augusti 1575.

Amplitudinis tuæ vti Frater.

Philippus Boncompagnus Card. S. Sixti.

Et ressumendo dict. declarationem in summario. Primo requiritur, vt educantur sine ancillis.

Secundo, si semel egrederentur, non amplius possunt illuc reuerti.

Tertio, tenentur ad clausuram obseruandam, quæ admodum ipsæ moniales.

Quarto, quod recipiantur cum licentia in scriptis Superiorum.

Quinto, & de consensu Abbatissæ, & monialium.

Sexto, quod si ob ægritudinem curandam, de licentia tamen Superioris, vt supra de consensu Abbatissæ, & monialium exierint a monasterio, rursus in eo admitti debent, cum licentia Superioris, & de consensu Abbatissæ, & monialium.

Septimo, quod vtantur eò vestimento, quod virginali modestiæ, & pudori conveniant, & eadem conditiones debent obseruare Viduæ, quæ ibi manent, licet istæ Viduæ de cætero non sunt recipiendæ in Monasterijs, nisi moniales fieri voluerint, & Sac. Congreg. declara 156. & 214. & 475. & 122. & 57. censuit.

II R E